

Q.K. 132,45.

x2005031

Ya  
5485

# EPISTOLA HISTORICA

Ad

Amplissim. Amicum

D. M. S.

de

DECEM LATRONIBUS  
ERFFURTI

d. 12. Aug. 1685.

partim decollatis  
& partim suspensis

deg

JESUITICO  
circa illos processu

1  
1

vel


Uncino de S. Unione  
missa

&

Per Typograph. ALETHEIA  
evulgata.

57.

Nr: nach diesem Exemplar  
Sie drucken alle zu Corri



ZU MÄRKISCHEM RECHT

IN DREI BÄNDEN


DRUCK

IN DER DRUCKEREI

AN DER STADT HANAU

1750.





*Salutem à Fonte Salutis unice Domino  
JESU CHRISTO!*



Edulis tuis Literarum mearum genius, Amice mellitissime, penitus ita inhæret ut tantum dulcedine quadam animum mihi conjunctissimum pascere semper contendam. Quid enim Amici Officium exigit, nisi ut fasce suo Damonem Pythias honestè levet, cum Amicorum omnia communia sint? Interim etiam sub tristi famâ nectar aliquod delitescere potest, quod Amicum vel respectu Justitiæ divinæ, vel Scandali extinti, aut pœnarum de maleficiis sumptarum exhilarat. Quia igitur Erfurti d. 12. August. decem Latronum ternarius pœnam Gladii & septenarius laquei rarissimo exemplo subire coactus est, consultum duxi rem amissi fideliter examinatam, quia divertia relationum & sententiarum circumferuntur, tibi O Corculum meum transcribere, præsertim cum Inclita Erfurtensis Respublica, Sol ille Thuringiæ nostræ, nominatissimò hoc justitiæ actu morem suum antiquum laudatissimè renovaverit, & quod rei cardo est, DEUS noster, quem solum religiosè colimus, ad Lutheranæ Religionis ministeriique encomium splendidissimum in hac populosissimâ actione condecorare voluerit.

Nam mi Amice, quamvis Latrones illi putrida membra Ecclesiæ nostræ extiterint, tamen Religio nostra non fuit induciva ad latrocinium perpetrandum, cum nulla magis contra scelera extirpanda militet, εξ ήμῶν εξηλθον, αλλ' γιν ήσαν εξ ήμῶν dicimus merito cum D. Johanne ex I. Ep. c. 2, 19. & parodiâ sequenti Tertull. exegesin Lib. de Præscript. adv. Hæres. c. 14. f. m. 121. huc applicamus; Etiam de Olivæ nucleo

A 2

mitis

† eventu

mitis & opimæ, & suavissimæ ventosa & vana Caprificus exur-  
git &c. Sed præter cætera Diaboli archilatronis, Carnis pec-  
caminosæ & exemplorum detestanda Consilia, quibus factio-  
nem ad modum Mahometis & Rusticorum superiori Seculo  
exuscitare, exuscitatamque, indies crescente Societate, astutissi-  
mè formatâ Cassâ & lege præscriptâ, ne pauperes sed tantum  
Nobiles, præfectos Urbium & provinciarum Religiososque fœ-  
derati aggrederentur, surriperentque malo titulo corrasa juxta  
tenorem Symboli:

Wir züchtigen Edelleut/Ambt-Männer und Pfaffen/  
Denn die pflegen es bald zusammen zu raffen.

Stabilire tentarunt, potius Religio Pontifícia, tanquam commu-  
ne securitatis asylum, nebulones malitiâ inescatos sub spe ve-  
niæ consequendæ ad furta & invasionem Arcis Kranichfelden-  
sis stimulavit. Norant quippe Pontificios statuere Fidem.  
veram sine charitate inexistentiam in talibus Subjectis habere  
ita ut Concilium Tridentinum Sess. VI. Can. 6. ejusm. fulmen  
vibret: Si quis dixerit amissâ per peccata Gratia simul & fi-  
dem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram,  
fidem, aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Chri-  
stianum anathema sit. conf. Bellarm. Præf. in Tom. I. Controv.  
Becan. L. I. Manual. c. 16. quæst. 4. num. 6. Canis. Op. Catech.  
p. m. 784. qui ultimus quoque fideles fornicarios, adulteros,  
fures atque rapaces agnoscit. Latronum animos error quo-  
que occuparat, monstrorum illud Ecclesiæ Caput, Papam puto,  
circa omne jus & factum dispensare, impunitatemque etiam  
Regum innocentissimorum parricidis impertire posse. Ex-  
horruī certè cum sanguinaria Marianæ Jesuitæ Tolet. L. I. de  
Rege & Regis Institut. c. 7. emblemata inspicere, & verba  
vel potius Diaboli effata invenire, quod si evaserint (Regi-  
cidæ) instar magnorum Heroum in omni vitâ suscipiendi sunt;  
si vero secus accidat, grata hominibus, grata superis hostiis  
cadunt, nobili conatu ad omnem posteritatis memoriam ce-  
lebrandi. Tremor invasit lectitatem Acta Garneti Jesuitæ  
qui cum Oswaldo Tesmond aliisque complicibus anno 1605.

Regem

Regem Angliae & ordines Regni in Comitiis versantes pulvere tormentario displodere & perdere conspiravit. Totus verò tremore abreptus fui cum reminisceret Papam Scelus parcidiale in Henr. IV. Gallia Regem à Johanne Castellio juxta dictum Præceptoris Johannis Gueret Jesuitæ commissum Martyrum tabulis Romæ inseruisse. vid. Princeps Historicorum. Thuanus L. 3. f. m. 517. unde illa quæso ruunt nisi ex Papæ tyrannicâ deificatione? Cujus culpas redarguere præsumat mortaliam nullus, quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus. Corp. Jur. Can. Colon. Munitianæ 1682. ed. f. m. 130. dist. 40. C. 6. Damnatur. Quis non ex ungue Leonem cognoscit & hypotheseon vanitatem deprehendit? Siquidem de Papæ electione legitimâ nullus quoad Baptismum, Cathedram & Prædestinationem citra formidinem Oppositi, nam intentionis Papalis mysterium deficit, apex præsto est. Hanc quidem maculam DNN. Jesuitarum fervor, & quid mirum? ab Ignatio Lojola enim militiæ & latrociniis assueto anno 1540 profeminati, abstergere voluit; ast quam aureolam reportarunt? aggressi sunt homines rudes & atheismo vicinos atque ἀναγνασμὸν Luc. 14. indigitatum non virtute Verbi divini hyperphysicè & non tantum moraliter agentis suscepérunt, sed moralem & conjecturalem tantum Fidei certitudinem, aliam enim Curia Romana non habet. vid. Bellarm. T. 2. Controv. Lib. 2. de Purgat. C. 4. f. m. 782. conf. Bresser. L. 2. de Conscient. c. 13. p. m. 199. imprimere desudarunt ut exclamatio Salvatoris apprimè huc quadret ex Matth. 23, 15. Οὐαὶ γὰρ γεωμετρῶς τοι Φαρισαῖοι ὡσκέται, ποιῶται αὐτὸν [maleficum] γὰρ γείνεται διπλότερον ἴμμων. Tres enim furum Antesignani abjurata fide salvificâ, quam hæreticorum Patriar. illi hæreticam immerito vocant, ad Castra Pontificis obtorto Collo traxi sunt. O larva fidei Carbonariæ publica! qui cæcitatris indicium est si hoc non est? quid impietatis centrum si hoc non est? quid dubitationis arguementum, si hoc non est? patienti, Amicorum Optime, aure imbibe illud Stanislai Hofii commentum adversus Brentii Theologi decanta-

diffimi prolegomena de Fide implicitâ. Nihil est , inquit,  
quod majore cum periculo conjunctum sit, quam si quis de  
Scripturis cum Satana certamen inire velit , præcipue quo  
tempore gravis agon instat cum Anima venit à Corpore se-  
paranda. Tùm verò fuerit tutissimum exemplum sequi Car-  
bonarii Cujusdam , ex quo cum animi causa Vir quidam  
doctus quæsivisset, quid crederet, Symbolum recitavit. Cum  
interrogaret ille, quid porrò crederet ? respondit , quod Ec-  
clesia Catholica. Ille verò quid credit Ecclesia Catholica ?  
Quod ego, inquit , credo. Et hoc circulo ignorantiae non  
tantum Carbonarium sed etiam Virum eruditissimum tenta-  
tiones Satanæ viciſſe Hosius , quantus Vir ? afferit. Proh !  
quantæ tenebræ illos lucis filios putatios obruere ? estne  
Fides Ignorantia ? Esaias negat cap. 53. Paulus Fidei nostræ  
Promachus in terminis contradicit , & ipsa rei ratio absurditi-  
tatem pontificiam proscribit ; nam si juxta Pontificios Fides  
entitatem habet excellentissimam, illaque objecto suo mensu-  
ratur, igitur necessariò fluit Fidem illud considerare ut Unum  
propter distinctam notitiam , verum ob assensum , & Bonum  
propter fiduciam. Nihil enim Voluntas practicè apprehe-  
dere potest, nisi præcognitum sit in Intellectu , & quidem  
non communī scilicet Ecclesiæ Romanæ , sed proprio & ex  
Scripturis hermeneyticè illustrato, Habac. 2. & Rom. 1. ἐναστεῖ  
ιν τῷ ἴδιῳ νοὶ πληροῦμεν ! Rom. 14, 6. 23. quid enim me  
Fides alienis subnixa columnis juvat ? Optarem, ut aliena  
quoque Stercora absurdorum Patroni arripere , deglutire &  
concoquere cogerentur. Reclamat DEUM intelligere con-  
ceptum generalem & individualem ? sed O cerebrum ! DEUS  
etiam cogitationes de Paupertatis vel Persecutionis naufragiis  
formatas coram intuetur, quid inde ? Fateor eisdem hanc,  
si dabilis esset , viam ad salutem compendiosam esse , nec ta-  
men DNN. Jesuitæ Apostatis, ad omnes impietatis formas dispo-  
sitis, Speciem ejus ad validitatem & tranquillitatem usque  
imprimere potuerunt. Unde quæso Molitoris inquietudo  
nisi ex hac palude ? Cur Confessionarium Lutheranum po-  
stea

stea lacrymis desideravit? furiæ Scelerum, & desperationis ipsum aggressæ fuerant, & Onus Scelerum Conscientiam premebat, insuperque Scaturigo Salutis, quasi instar Salomoneæ occludenda esset misero denegabatur etsi non in totum. Sed Mediator ita est unicus & indivisibilis ut corrvales, quocunque nomine veniant, non admittat, quia ille solus ἡεστένη  
βγλῆ ηγι οργανώσ τῷ θεῷ εκδοτῷ ad hoc arduum negotium est, & ratione indebitæ & infinitæ Satisfactionis, applicatio- nisque dirigente Omnisapientiâ, imperante Voluntate, & ex- sequente Potentiâ mediaticem spartam ornare & sustinere potest. Miror certè Homines eruditos & tantâ luce circum- fusos suaviter ita delirare, ambages sectari, & Scopum negli- gere, vel Scopo Salutis unico in favorem medii heterogenii, inexcusabiliter detrahere, atque tenebras in Solis mensâ ex- ponere. Quid Amice in Cymba charontis & faucibus Infer- feni posito cum AVE MARIA! Ipsimet B. Mariam Θεοτοχον exquisitissimo meritò condecoramus honore, quæ autem re- velatio divina nos ad idololatriam Marianam evocat? quæ Origo obligat? Collyridianorum vestigiis num insistamus, qui S. Virginem αὐτὴν θεός introducebant? muliercularum Ara- bicarum nānis inducti Mariam tanquam N. T. Melechet Cul- tu divino prosequamur? vid. Epiphan. Hæres. 79. f. m. 343. conf. M. Antonius de Dominis contra Svarez c. 2. num. 19.

Pontificiis quidem hæc impietas ita arridet ut Jacob. de Vorag, Serm. Aur. de B. Mar. Serm. 1. f. m. 76. in hæc erumpat: Quod vanæ mulieres dixerunt de Lunâ, nos exponamus de istâ Reginâ Jerem. 44. debemus Reginæ nostræ sanctificare corpora nostra per mortificationem, & libare ei corda per quandam lacrymarum Compassionem, & offerre placentas, hoc est Conscientias mundas. conf. Mendoza. in Viridar. L. 2. problem. 4. de Comment. in 1. Reg. T. 2. f. m. 217. Lipsius in Virg. Aspricoll. ubi DEA in terminis vocatur. Examinetur quoque Vulgata quæ Gen. 2. in vices Christi circa contritionem Serpentis Mariam substituit legendo non masculine sed femininè **N** 17 ipsa conteret &c. & quia ista lectio Sixti V. &

Clem.

Clem. VIII. P. P. R. autoritate stabilita est , meritò apertæ blasphemiae nota Papatai inuritur , præsertim cum Impeccabilitas Mariæ nondum à Franciscanis contra Dominicanos ab anno Christi 1370. cum Paulus V. Gregor. XV. & Alex. VII. ignorantia suâ hujus ministerii Legationem Phil. III. & IV. Reg. Hispan. solennissimam 1618. & 1621. deluderent, evicta sit. vid. Luc. Waddynus Hibernus Minor. in Hist. Legat. hujus p. m. 41-54.

Petr. Suavis Histor. Conc. Trid, p. m. 198. Bell. L. 2. de V. D. c. 12. f. m. 122. Bosquier T. I. Op. f. m. 13II. Greg. de Valent. T. IV. Disp. 2. q. 1. punct. 2.

Eheu quid ad hæc D. Maria ? nullus dubito Amice, si sermones nobiscum miscere posset , effunderet invectivas, summatimque gemeret, quis hæc de manibus vestris requisiuit ? candem certè iteraret querelam , si daretur , Crux Salvatoris abusui prostituta ad cuius imagunculam DN. Jesuitæ Latrones , actum directum & reflexum nescientes, austere [Siehe auf dein Creutz / was siehest du dich viel umb ?] ablegarunt. Et quid ridicula illa Jesuitæ coram patibulo cum boatu stentoreo AVS MARIA ! & elevatâ cruce genuflexio signavit ? num quoque Patibulum adorationis , prout de incertâ lignea tracis Christi specie nugas agunt , obiectum erit ? absit Amice , ut Lignum Crucis Salvatoris cum scelerâ ejusmodi furcâ comparem ! absit impietas illa, recedat ad Garamantas ! in signo enim rationis plurimum interest. Interim cum DN. Jesuita preces suas vi hypotheseos suæ in lignea illâ imagunculâ non solum per accidens & ut vicem gerebat exemplaris , sed propriè terminaret Bellarm. T. 2. Contr. L. 2. de Imag. Sanct. c. 21. f. m. 108. Tann. T. 2. p. m. 1386. & 1401. risuimusdem fuere animi ac Seren. Dux Sax. Joh. Casimirus , cum enim in controversiâ Juliacensi Coloniæ Agripp. hæreret, & ædem D. Ursulæ perlustraret, rancidus quidam Sacrificulus ipsi particulam Crucis & Coronæ Spineæ quam Christum gestasse fingunt , exosculandam obtulit , sed ille cum nauseâ putidas illas reliquias aversatus est, dicens;

theodoxorium  
exposuit, +



dicens : Se illud non pio affectu prosequi quod læsionem & injuriā Christo Lytrotæ intulisset. O Principe tanto dignum factum, digna Verba ! Unde enim existentia Crucis continuata probabitur ? certitudinem moralem objicient ? providentiaz divinæ conservationem & multiplicationem imitaticem miraculi panum multiplicatorum imputabunt, & acquisitionem novi loci prætentent. vid. Gretser. L.i. de S. Cruce c. 77. & Car. Stengel. de SS. Reliq. c. 2. p. m. 4. 44. 101. seq. Sed circulum committunt, producant tabulas Scripturæ de perpetuitate, & adorabilitate Crucis præceptivas, & promissivas, quia non conceditur sapere ὑπὲρ οὐρανῶν ! Ast illud præstabunt, quando ex tenebris suis asinum cui Servator inequitavit, adorabilem extrahent. Credimus ipsimet Christum Crucis, non quidem tanquam altari, alias altare Sacrificio preciosius fuisset, affixum pro totius Mundi peccatis sanguinem suum sufficier & efficienter effusisse ; ast quæ ad hoc instrumentum passionis redundat vis ? annon Salvator ut peccatum in æstimatione judiciaria ipsum ibi pependit ? num benedictio ibi acquisita omnibus Gentibus simul ad Lignum pertinet ? quænam inhæsio illius statuenda ? & quamvis arma Heroum in pretio habeamus, tamen illa gloriam istorum non obfuscet ? Si hæc cautela Pontificii cum cruce lignariæ genua fletterent certè nos haud haberent monitores, monitorii enim vice illa Crux ligenea solùm fungetur. Sed jam ipsum culmen absurditatum attingo, & nescio, O Amice, utrum te ad risum, vel dolorem formem ? Cum enim Latrones ultimò Confessionem suam edere precesque fundere deberent, & Apostatae neque linguam vel mentem Jesuitarum perciperent, vicarium instituerunt, & quidam Jesuita personam Maleficī simulans pro illo responsa dedit. Cur autem pro illo quoque non pependit & homo trium literarum factus est, eâ enim mercede fur animarum maestandus esset. Cur non cum perfidis instar caufidici ad tribunal Judicis Supremi abiit ? & in feso pœnas meritas recepit ? estne hoc Artis Oratoriæ Specimen solatinuum ? cedò in qua Scholâ illam imbiberunt ut tam ridiculæ aliis propinare possint ? in Christi ? Apostolorum ? S. Patrum ? Proh quæ dementia hos Ecclesiæ fungos cepit, fascinavit, excæcavit ? replicabunt cum Sandæo Jes. Herbipol. in Grammat. Profan. Comment. XII. p. m. 465. delectari supremum illud Numen sermonis simplicitate, &

B

quâ-



quādam ruditate, omnesque callere linguas, & magis affectuum  
q̄ām verborum esse ponderatorem? non penitus rejicio qu. Cor-  
nua Cervi, sed potius digitum attollo, cor enim Deus respicit, &  
hic valet canon Synodi Carthagin. IV. quod ore cantas corde cre-  
das, & quod corde credis operibus comprobēs! non autem inde  
conficitur Deū adorantium gaudere ruditate, inscītiā, barbaris si-  
ne mente sonis, & optimas esse preces nescire quid strepas. Lepi-  
dān de hac farinā accipe fabellam! Ferunt eximiae Simplicitatis  
hōminem in solitudine quotidie sese ferme confecisse hac orandi  
formulā: O Deus miserere tui! eamque animo per nullam corre-  
ctionem evelli potuisse, & tamen hujus formulæ efficaciā amplissi-  
mum Aquarum Spacium transtasse. Quid igitur Dn. Jesuitæ pon-  
tibus, Scaphis, & navibus opus habent, si ruditati ejusmodi tanta  
vis inest, & Deus eā tām citō movetur? Habes hīc, Amice, stibium  
quo omnem Monachorum, Monialiumque insciā pingas, & co-  
lorem quo preces sine ullo mentis lumine & sensu deblateratas in-  
crustes. Quantum vero virtutis ejusmodi preces secum vehant &  
totus Processus. Jesuiticus valeat clamabant omnia membra, &  
guttulæ Sanguinis Apostatarum, ob stupe, steterunt comæ, & vox  
faucibus hæsit: Heu terq; quaterq; miseras illas inferni victimas!  
mortis truculentia illos invadet, ignes Purgatorii, quorum Cru-  
ciatus juxta Bellarm. T.2. Controv. L.2.c.14. de Purg. f.m.805. atro-  
cissimi sunt & cum illis nulla poena hujus vitæ comparanda est, hor-  
rebat, concidebant vultu. Et quid mirum? forte animis ipsorum  
tanquam modis caput objiciebatur revelatio cujusdam monachi,  
qui ad invisendum Purgatorium in ecstasi abreptus retulit Purga-  
torium chartaceo interstitio ab infernalis ignis lacu discriminatum  
fuisse, sed ex incuriā custodis & impetu dæmonum lacum nimis  
commoventium flamas quasdam illud invasisse & exussisse cum  
cristissimo animarum inibi incarcertarum ejulatu. Quia verò hæc  
relatio Culinas Clericorum frigefacere, & Missas purgandis anima-  
bus consecratae extinguere videbatur, acriter à Prudentibus in-  
crepatus & frater Timidus vocatus est. Contra ejusmodi terrorum  
spectra nihil refrigerii à vanissimis Consolatoribus Malefici accipe-  
re poterant, nisi forte aliiquid ex entheo discursu & precibus DNN.  
Evangelicorum arripuerunt. Verum est quidem nostræ partis Ma-  
leficos horrorem quoque sensisse, quis enim mortis aculeos non ex-  
peria-

periatur? quis non trepidet coram Goliatho infernali quando ad  
agonem ultimum provocat? quis non memoria instantis judicii di-  
vini percellatur? Sed strenuas pl. Rever. Ministerium Protestan-  
tium suppetias Moribundis attulit, & Spir. S. gratia trepidantem fi-  
dem solius Christi merito rursus erexit, me tum excussit, nectare &  
ambrosiam Paradisi, quem Solus Christus noster promeruit, solus  
fidem perseverantem habentibus tanquam Claviger aperit, effica-  
citer pavit, & confortavit, ita ut sereniori fronte tanquam certi de  
Salute suâ oculos ad Cœlum extollere & animas manibus Christi  
clamando: Domine JESU miserere mei & Spiritum meum suscipe!  
commendare possent. Ibi lux veritatis Evangelicæ plurimos ani-  
mos perstrinxit, ibi discrimen Ministerii Lutherani, & Papisticæ e-  
micuit, quod sc. tanta intercederet differentia, quanta inter cœlum  
& terram, lucem, & tenebras, mel & acetum, panacæam & venenum  
datur, ibi verificatum est, quod nemo subnixus Papistica Religione,  
quatenus ut Papistica in formalitate sua & ultimata abstractione,  
alias enim Ecclesiam Romanam totam non condemnamus. Conci-  
pitur, Solarium haurire & Salutem assequi possit; Sed si cui ex mul-  
titudine Pontificia, quam pro nota verâ Ecclesiae imprudenter ven-  
ditant cum eadem Sultan quoque gloriari queat, Solarium verum  
& Salus obtingit, necessario ex principiis Protestantium illa af-  
fluunt. Ad recognitionem exemplorum provoco. Cur Præpositus  
Cænobii ad S. Affran in urbe Misnensi Canonico amico tria reser-  
vata ad ultimum vale injunxit scil. Agonis Christi Sanguisui in  
Horto dolorum in cruce exantlorum, & verborum crucifixi? vid.  
Hist. Misnæ p. m. 24. nisi quia alium Salvandi modum impossibili-  
tati meritò adjudicaret? quid non veritas Illustr. DN. Duc. Sax.  
Georgio acerrimo Lutheri hosti circa ejuscemodi negocium ex-  
torsit? Filius Johannes morti vicinus S. Cœnam sub utraque anxiè  
ambiebat, flagitabat. Monachus quidam concessionem sub una à  
Lutherò factam mentiebatur, Parens augustinissimo articulo Justifi-  
cationis gratuitæ agonizantem suffulciebat, & cum Conjur Hassia-  
ca modestè moneret, cur toti Provinciæ talis doctrina non propo-  
neretur? illud responsi accepit: Charissima Filia, hæc tantum mo-  
rientibus, non a. sanis patefaciamus! Diutius quidem, O Amicorum  
Titan, attentionem tuam detineo, & prolixitate fatigo, sed certitudæ  
amoris erga me indefessi frigidam adhuc suffundit, ut quoque cele-

bra-

+ in illa  
Christy q/  
seinen

*Q9 Ma 5783*

bratiss. famæ Jesuitam Dn. P. Georg. Schererum, Obsidem fidei nostræ, cum pace in medium adducam. Arrigite aures, O Socii, si forte ad hanc hæc Epistola advolaverit! quidnam ille Dn. ab Harrach, Cæsareæ Majestatis Maxim. II. Archicamerario, jam jam diem suum obituro, adclamavit? Sola fiduciaria Christi mentio ejusque meriti omne ferebat punctum, eliminabantur merita propria, & Sanctorum supererogationes exulare cogebantur, imò cum Generosiss. Baro Dn. Helmhar Jörger adoptivus exciperet, Dn. Pater Scherere, quid rei est, quod Dn. ab Harrach ad solum Christum tanquam unicum Propitiatorium & Thronum Gratiae Salutisque, & non simul ad meritorum propriorum cumulum, & intercessiones Sanctorum remittis, altoque silentio Indulgentias & Purgatorium involvis? Jesuita regessit, Gratiœ Domine, aliter debemus loqui cum vivis & sanis, & aliter cum ægris & semimortuis. Unde plurimi Religionis hujus Sectatores nuperrimo Suppliciorum amphitheatro talem affixere inscriptionem, rurius esse cum Lutherana Fidei Salutis, certitudine, quaeharmonica & infallibili S. Scriptura auctoritate fundatur vivere, & mori, quamcum Pontificia aleam dubitationis periculosisimam subire. Hæc Serra toto die & usq; ad connubiam noctem ultro citroq; reciprocata fuit, ubi Victoria semper à nostris partibus stetit, & quod Lapii ex ore fide dignorum Hominum dixerim, Reverendiss. & Illustr. Gubernator seu Locum tenens ipse VIR omnibus notis gloriae virtutumq; jubare inclytus, & hic terrarum magnum Pontificie Religionis columen, cuius nomen in benedictione sit! à Processu Jesuitico piè abhorruit, speq; non exigua lactor multas adhuc aliorum sub tegmine fagi, i. e. mundanarum deliciarum Sopitas Cogitationes eventum C. D. resupinaturum, quam Spem quidam illius communitatis Homines multis nominibus commendabiles, & virtutibus conspicui præsertim beneficentia in Hostes mihi fecerunt, & utinam eventus fructificet, plurimiq; papale jugum excutiant! Utinam quoq; quod votorum meorum fastigium est, Dn. Amicus cum dilectissimis perpetim in portu naviget, meumq; nomen prout ego ipsius charissimum in sinuporrò gerat. Epicrisi limatissimi tui Judicii avidus expecto, & post eam APOLOGIAM Infelicitatis Seculi nostri sub censurâ habebis. Vale, flore intensius!

Tuus usque ad Aras  
UNCINUS DE S. UNIONE.

Q.K. 132, 45.

**E P**

DEC



A close-up photograph of a library catalog card. The card is light beige with dark green printed text. At the top left, it says '231' above a large letter 'A'. To the right is a white circular sticker with a black border containing the letters 'Ya' on top and the number '5485' below. The entire card is set against a dark background.

BUS

